

2723

C O D I C E S

2724

DCCLII.

³²¹ Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 186. f. eleganter scriptus, miniatus et servatus continet *Sermones* sacros XXXI. prolatos quidem a celebri ejus Seculi *Gerbobo* vel *Gerocho* Collegii Canon. Reg. *Reichersbergensis* in *Bavaria* Praeposito, qui an. 1169. decessit, calamo vero exceptos ab *Arnone* Autoris fratre ejusdem Collegii primum Decano, dein a Fratris obitu usque ad an. 1175. Praeposito, qui, quomodo rem egerit, e prolata *Praefatione*, quae incipit: *Diuersa diuersorum inueniuntur officia &c. decerpam. Sunt enim nostro quoque ut dixi tempore in domo domini operarii fideles et inconfusibiles inter quos pater Gerb' (ohus) uelut alter beselebel uidetur non ultimus refulgere* — Cuius ego in euangelio christi adiutor preordinatus a domino in hoc ipso subseruio. quod sermones ore gratioso in ecclesia prolatos ab ipso perire obliuione non sino. — Non est autem nostrae intentionis uelut officio notarii fungendo uerbis quoque eius penitus adherere. ita ut nichil admittam extrinsecum. quod nostrae quoque humilitati ad edificationem ecclesiae sanctae diuino fuerit spiritu suggestum. Sermonum itaque eius de quo loquimur uiri illustres per singulas pene sollempnitates maiores per nonnullas quoque dominicas retento ac prefixo sermoni nostro ferme semper themate noster quoque sermo tanto erit popularior atque ut ita dicam capitularior quanto ad ipsius sermonum

themata quos uel in populis proclamauit. uel in fratrum conuentibus protulit. ueluti circa quendam cardinem fuerit restrictior. Deinceps Praefatio de officio facti oratoris sub Allegoria a *Tubis* et *Tubicinibus* e V. T. deprompta tractat, dum sub finem Autor ita nomen suum manifestet: *Nunc uero cum de preteritis memoria remordeat. et de futuris incertum iudicium pendeat, spes tamen per dei gratiam timorem uincat. eos qui presenti sermonum opusculo edificari uel edificare curauerint exoratos esse cupio. quatenus peccatoris arnonis piam apud deum memoriam habeant &c.* Sermonum porro hic est Ordo. Primi VI. agunt de *Aduentu Domini*, primusque in illud *Jer. c. 23. Ecce dies uenient &c.* incipit: *Captiuos babilonis omnes uidelicet nos qui in adam peccauimus &c.* VII. VIII. et IX. habiti sunt in *Vigilia natalis Domini*. In fine VIII. orat pro iis, qui hortatu *Eugenii pape III. et uenerabilis uiri Bernhardi abbatis clareuallensis* repentina mutatione signaculo sanctae crucis communiti arma contra inimicas christi et ciuitatis iberusalem gentes corripunt. et pro christo mori aut uincere parati ad bella proficiscuntur. tanta multitudine (plusquam 200000.) de uniuersis terminis ecclesiae simul properante quanta nunquam super terram uisa legitur. Id quod Sermonem hunc anno 1146. aut 47. adfigere uidetur. Sermo X. de *Die natali Domini*. XI. de *tribus Magis*. XII. iterum de *natali Domini*. XIII. de *S. Stephano*.

2725

HOMILETICI

2726

phano. XIV. de *Johanne Evang.* XV. de *Innocentibus.* XVI. de *IIII^o. Diebus*, id est, Festis haecenus recensitis simul sumtis. In hoc Sermone sententiam suam de *gloria hominis*, seu naturae humanae, in *Deum assumptæ* urgent Fratres. Sermo XVII. rursus de *natali Domini.* XVIII. de *circumcisione Domini.* XIX. in *Octava Domini.* XX. in *capite Iejunii.* XXI — XXV. de *5. Dominicis Quadr.* XXVI. in *natali S. Gregorii.* XXVII. in *annunciatione Sancte Marie.* XXVIII. in *Palmis.* XXIX. in *Cena Domini* in quo Sermone egregium, nobis fol. 164. legitur de Veritate Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia testimonium, quod incipit: *Credamus domino dicenti. hoc est corpus meum. hic est sanguis meus. qui cum uana rebus nomina non soleat ponere. non dixit saltim. hoc uocetur corpus meum. hoc uocetur sanguis meus* — *Ac ne recurras ad sacramentum. et putes hoc uerbum tantum ad ecclesie unitatem esse referendum — ac si diceretur. hoc significat ecclesie unitatem que est corpus meum* — *signanter adiecit. quod pro uobis tradetur — quod ecclesie nequaquam aptari poterit, cuius pro nobis neque corpus traditur nec sanguis effunditur &c.* Sermo XXX. in *Mandato*, id est, in *Lotione Pedum.* Ultimus in *Die Sancta Resurrectionis Domini.* Vides medium Annum circumactum. Oportebit itaque alicubi et aliam Operis Partem existere, quae Sermones, ut ajunt, *Aestiuales* comple-

atur. Agunt de *Gerboho* atque *Arnone* varii, quos citatos habes apud *Fabric. Bibl. med. Lat. L. 7. et 1. et Hamberger IV. Th. p. 238.* nemo tamen Sermonum nostrorum meminit. Inde raritatem conjice.

DCCLIII.

Codex partim membranaceus, ⁷⁶⁵ ₇₆₆ eaque parte Sec. XII. partim chartaceus, eaque parte Sec. XV. Folior. primum 73. tum 26. 8. priorre parte eleganter exaratus haec complectitur: I. Sermones duos de *Dedicatione Ecclesiae*, quorum prior insit: *Templum dei sanctum est quod estis uos. (Per) Uerba que modo premisimus domum dei multum commendat apostolus &c.* Alter: *Si quis diligit me sermones meos seruabit &c. Nisi diligamus deum non possumus saluari &c.*

II. fol. 4. Excerpta varia e PP. *Augustino, Leone, Innocentio, Pio, Clemente, Gregorio, Ambrosio*, nullo nexu.

III. fol. 5. p. 2. Sermones duos; de *Aduentu*, cujus initium: *Quoniam presentium Obseruatione dierum utrumque christi aduentum celebramus &c. et de palmis*, cujus initium: *Occurrunt Turbæ cum floribus et palmis redemptori &c.*

IV. fol. 8. De *Sacris Ordinibus.* Initium: *Sacri Ordines fiunt semper in ieiunio secundum primitiuam ecclesiam. quia legitur. ministrantibus illis domino et ieiunantibus dixit spiritus sanctus &c.* Brevis est Institutio liturgica, cujus fon-